



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 4. Quid fuerit, aut sit lapis oneris?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



quasi qui *ledat pedem*. Sæpe ergo euenit, vt qui lapidem ponit alteri in offendiculum, ipse sui doli oblitus in eum incurrat imprudens; immò, vt qua re alium vincere voluit, eâ vincatur.

§. IV.

*Quid fuerit, aut sit lapis oneris?*

Quod vt intelligas, aduerte ex D. Hieronymo, quid à Propheta Zacharia *lapis oneris* Zachar. vocetur. Vetus enim, in Iudæa, mos fuit, 12. 3.

S. Hieronymi adhuc tempore, obseruatus, vt in viculis, oppidis, & castellis rotundi lapides ponderis grauissimi ponerentur, quibus sese iuuenes exercere solitabant, dum eos pro diuersitate virium subleuarunt, alij vsque ad genua, alij ad vmbilicum, alij ad humeros & caput, nonnulli super verticem, rectis iunctisq; manibus magnitudinem virium demonstrantes. Addit, etiam Græcorum morem similem fuisse. Nam se in arce Atheniensium, juxta simulachrum Mineruæ, vidisse sphæram aeneâ ponderis maximi, quam ipse pro imbecillitate corpusculi mouere vix potuerit: cùm autem quæreret, quidnam sibi illud vellet? responsum ab vrbis eius authoribus, athletarum in illa massa robur comprobari; nec priùs ad agonem



quemquam descendere, quàm ex leuatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. Talis lapis in aula quoque Monacensi monstratur, quem cum poëta, *partem hanc ad exiguam* montis voces, sublatus, gestatus, projectus à fortissimo heroe Bauariæ Duce.

## §. V.

*Quid lapis oneris, & laqueus absconditus significet?*

*Qui statuit talem lapidem proximo suo in certamen, & virium certamen, offendet in eo, quia si videat, quòd tollere eum alter non possit, inueniet se ipsum imparem, ad eum tollendum. Nihil est frequentius, quàm vi alios contemnamus ob laborem, quem fugiunt, vel excusant, cùm tamen eum ipsi perferre non possimus. Quo in genere superiores sæpe peccant. Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera graua, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere: & sæpe non possunt. Itaque, si sorte mutata, eadem facere jubeantur, tunc demum in lapidem offendunt, quem ipsi alijs posuerunt; & lapis oneris ostendit illis suam imbecillitatem, qui infirmitatem aliorum agnoscere noluerunt. Tertia similitudo est. Qui laqueum*

Matth. 23.

4.

Eccli. 27.

29.

alij